



Specimen juridicum inaugurale de causis cur in nonnullis capitibus praecipuis differat Codex Civilis Indo-Neerlandicus a Codice Civili nostro

<https://hdl.handle.net/1874/319005>

9

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE

DE

CAUSIS CUR IN NONNULLIS CAPITIBUS PRAECIPUIS
DIFFERAT CODEX CIVILIS INDO-NEERLANDICUS
A CODICE CIVILI NOSTRO.

INSTITUTIONE REIPUBLICANA
ACADEMIAE SCIENTIARUM
PRAGAE

FRANCISCI CORSELLI DODRERI

PHYSICAE ET ASTRONOMIAE
MAGISTRI

INSTITUTIONE REIPUBLICANA
ACADEMIAE SCIENTIARUM
PRAGAE

FRANCISCI CORSELLI DODRERI

PHYSICAE ET ASTRONOMIAE
MAGISTRI

INSTITUTIONE REIPUBLICANA
ACADEMIAE SCIENTIARUM
PRAGAE

FRANCISCI CORSELLI DODRERI

9

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE

DE

CAUSIS CUR IN NONNULLIS CAPITIBUS PRAECIPUIS
DIFFERAT CODEX CIVILIS INDO-NEERLANDICUS
A CODICE CIVILI NOSTRO,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

FRANCISCI CORNELII DONDERS,

MED. DOCT. ET PROF. EXTRAORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NORILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN

JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JANUS GUSTAVUS ROCHUSSEN,

Amsteladamensis.

D. XVII M. JANUARIJ A. MDCCCLIII, HORA I.

TRAJECTI AD RIENUM,
APUD C. BIELEVELT.

MDCCCLIII.

INSTITUTIONS

THE UNIVERSITY OF
THE STATE OF NEW YORK
THE UNIVERSITY OF THE STATE OF NEW YORK

THE UNIVERSITY OF THE STATE OF NEW YORK
THE UNIVERSITY OF THE STATE OF NEW YORK

THE UNIVERSITY OF THE STATE OF NEW YORK

PATRI OPTIMO CARISSIMO

THE UNIVERSITY OF THE STATE OF NEW YORK

THE UNIVERSITY OF THE STATE OF NEW YORK

THE UNIVERSITY OF THE STATE OF NEW YORK

THE UNIVERSITY OF THE STATE OF NEW YORK

THE UNIVERSITY OF THE STATE OF NEW YORK

THE UNIVERSITY OF THE STATE OF NEW YORK

PATRI OPTIMO CARISSIMO.

INTRODUCTION

The following is a list of the names of the persons who have been named in the course of the proceedings in this case. The names are given in the order in which they were named, and are not necessarily in the order in which they were named in the proceedings. The names are given in the order in which they were named in the proceedings, and are not necessarily in the order in which they were named in the proceedings.

INTRODUCTIO.

Academiam mox relicturus et summos petens in jure Romano et hodierno honores, antiquo et solempni mori parendum et opusculum de aliquo juris argumento conscribendum censui. Cum autem argumentum requirerem, post dubitationem constitui ut disquisitionem instituerem: *de causis cur in nonnullis capitibus differat Codex Civilis Indo-Neerlandicus a Codice Civili nostro*: nam licet Codex Civilis in coloniis Indiae nostrae Orientalis introductus, universe idem sit atque Codex Civilis noster, quippe ad exemplum istius Codicis magna sui parte ad verbum descriptus, constat tamen nonnulla capita prorsus inter se differre, quorsum v. c. pertinent loca *de juribus incolarum et peregrinorum, de tutelis, de hypothecis* alia. Haec loca paullo accuratius indagare et causas indicare quae, me quidem iudice, legislatorem videantur movisse in constituendis

illis juris locis Codici Civili nostro haud persimilibus, ejusmodi argumentum esse videbatur quod meas qualescumque vires non nimis superaret. Est praeterea argumentum tale quod pauci hactenus exponere aggressi sunt. Itaque faciliorem censuram et benevolum magis lectorem me inventurum speravi, quam si operam collocassem in eo argumento, in quo meam scripturam ad aliorum vel accuratorem vel elegantiorum explicationem exigendam censerent.

Antequam ad ipsum opus tractandum transgrediar, historiam legislationis in coloniis Indicis paucis indicare, et juris conditionem ante introductam novam legislationem leviter pertingere in animo est, ut deinceps suo ordine praecipua loca Codicis Civiles Indo-Neerlandici, quae a Codice Civili nostro differant, ad nostras leges exigam et indicem quae fuisse videantur horum delictorum causae.

CAPUT PRIMUM.

MONITUM DE JURIS CONDITIONE IN COLONIIS INDO-NEERLANDICIS

ANTE INTRODUCTOS NOVOS CODICES.

In disputatione quae ad hodiernam spectat juris civilis conditionem ejusque justam aestimationem, non omnino negligenda videtur etiam pristina juris conditio. Itaque quum in animo habeam, ut disquisitionem instituum, de differentia inter nonnulla capita legislationis nostrae civilis et ea quae in regiones Indo-Neerlandicas sunt introducta, verbo etiam de antiquo quod in ea regione viguit jure monendum videtur. Brevis tamen in eo esse potero, cum de hocce argumento plenius fusiusque jam disputaverit vir ampl. P. MYER, qui summo hodieque apud supremam Indiae Curiam fungitur munere, in praeclara disquisitione quam inscripsit: *Bijdrage tot de Geschiedenis der Codificatie in Nederlandsch-Indië*;

(*Nederl. Jaarb. voor Regtsgeleerdheid en Wetgeving*, verz. door Mr. C. A. DEN TEX en Mr. J. VAN HALL, tomo III.) Vel ex iis quae post hunc scriptorem paucis monebo, perspicue ni fallor patebit, tum quantopere necesse fuerit ut nova introduceretur legislatio, tum quomodo temporis ratio obstiterit quominus jam pridem juris in India institueretur emendatio et revisio.

Brevi post conditam anno 1619 urbem Bataviam, quum facile intelligerent Neerlandi non existere posse bene ordinatam civitatem, nisi etiam legislatio ejus esset certa et constituta, praeclaro Jureconsulto JOANNI MAETSUYKER, qui tunc erat Pensionarius Curiae Justitiae, et postea Indiae celeberrimus Gubernator (Gouverneur-Generaal) exstitit, mandatum est, ut diversas leges et decreta, quae in legum collectionibus dictis *Plakkaatboeken* inveniebantur, in unum codicem colligeret, et inter se in concordiam atque consonantiam redigeret. Opus hoc jam insequenti anno fuit absolutum, et codex quem confecit MAETSUYKER, postquam a quinqueviris esset comprobatus, die 5 m. Julii anni 1642, nomine: *Ordonnantiën en Statuten van Batavia om voortaan in de plaats van de hierboven genoemde Plakkaatboeken gebruikt te worden*, est promulgatus. Hic codex (quem vocabimus Statuta vetera Bataviae) est collectio legum, dispositionum legalium et administrationis, 48 capitibus constans. Inter illa imprimis animadvertenda quidem

ea, quae spectant modum procedendi in causis civilibus, sed etiam caetera et universum adeo opus multis sese nominibus maximopere commendare visum est.

Per universam tamen insulam Javam vim legis nunquam adepta sunt haec Bataviae Statuta, quod ne tunc quidem obtinuit quum Societas Indiae Orientalis per totam insulam imperium atque potestatem occupasset. Codex scilicet introductus nunquam fuit extra illam partem quae Batavia vocatur, quae tamen multo majorem partem quam urbem ipsam eo nomine insignitam continet.

Haec est origo Codicis istius, quem per seculum unum et dimidium in jure dicendo pro lege observaverunt: videamus nunc quae porro fuerit ejus historia.

Perrexerunt etiam post illum Codicem novas leges conscribere: quum vero nemo mandatum acceperit illas in unum colligendi et efficiendi ut inter se bene convenirent, non mirandum est quod magna rursus exstiterit in legislatione perturbatio, donec tandem decreto diei 9 m. Julii a. 1715 Societatis Indicae Praefecti (Bewindhebberen) Indiae Gubernatori mandaverint ut Statuta Bataviae emendari juberet. Jureconsulti duo in India dicti sunt qui hoc opus aggredierentur, sed varias ob causas opus illud perfici non potuit, sive ei insequentes Gubernatores Indiae non eandem semper diligentiam adhibuerint, sive mortuis illis Jureconsultis in illorum locum alii nominari vix potuerint, qui labori gravi et arduo apti essent.

Sub imperio Gubernatoris VAN DER PARRE, anno 1761 plenior legislationi cura fuit adhibita: tunc leges et decreta denuo in unum sunt collecta; sed iste codex, cui nomen datum est: *Nieuwe statuten van Batavia* a Societatis Indicae Praefectis nunquam est comprobatus neque ergo vim legis est adeptus, et codice anni 1642, qui vocatur *Oude statuten van Batavia*, uti semper in India perrexerunt.

Alterius tamen Codicis, *Nova Statuta* scilicet, non oblitus sunt: nam postquam ea per 40 circiter annos essent seposita, iterum specialis de iis disquisitio est instituta.

Anno enim 1803 collegium curandis rebus Indicis Orientalibus (Commissie voor de Oost-Indische zaken), creatum decreto Summi Reipublicae Imperii (het Staatsbewind) diei 11 Novemb. a. 1802, summo Gubernatori jussit ut *Nova Statuta* emendanda curaret. Ne autem hoc locum haberet politicae causae prohibuerunt, et anno demum 1807 a Rege LUDOVICO NAPOLEONTE, Gubernator Indiae DAENDELS jussum accepit ut legislationi curam adhiberet. Hic Gubernator, ut mandato obtemperaret, confici jussit collectionem legum cui nomen datum *Recueil*, quae tamen collectio publice nunquam fuit promulgata, imo vero ne typis quidem fuit descripta.

Pervenimus jam ad tempus quo coloniae Indicae vi armorum patriae nostrae ademptae et ab Anglis occupatae fuerunt. Haec autem dominatio non sine omni

fructu legislationem curavit, ut mox videbimus. Leges quidem civiles eadem manserunt; quod vero modum procedendi in causis civilibus attinet, qui in Curia Suprema Batavica obtinebat, eum communicavit cum collegiis qui iuridicundo praeessent in regione Samarang et Sourabaia. Leges etiam poenales eadem manserunt, hoc excepto quod poenae quae in membrorum mutilatione consistere (mutilerende straffen) et quaestio criminalis (pijnbank) sunt abrogatae. In modo autem procedendi in causis criminalibus magna facta est mutatio: scilicet, ad exemplum ejus quod in Anglia ipsa obtineret, iudices jurati sunt introducti.

Ne monere praetereamus leges quas introduxerunt Angli: et primo loco nominemus istas quae vocatae sunt: *Wetten tot eene meer prompte, zuivere en onpartijdige administratie der Justitie op het eiland Java*, introductae die 11. m. Sept. a. 1811, quae leges typis mandatae multum utilitatis attulerunt. — Alia praeterea legum collectio ab illis confecta in lucem prodiit hoc nomine: *Proclamations, Regulations, Advertisements and Orders printed and published in the Island of Java bij the British Government and under its authority*, quae collectio etiam laudari solet, et multa placita satis probabilia continet. Hae praecipuae sunt curae quas adhibuerunt Angli legislationi Indicae, et hoc non sine utilitate fuisse jure meritoque existimatum est.

Postquam autem anno 1816 coloniae in patriae rursus pervenerant potestatem, per triennium, ut notum est, illarum administratio fuit penes illos viros, quibus a Rege haec cura fuit commissa, quique ideo dicti fuerunt *Commissarissen-generaal*. His cura a rege data est, ut *Nova Statuta Bataviae* reviderent, et illa mutarent, quibus mutatione opus esse videretur. Sed perdifficile videbatur hoc perficere mandatum. Nam inde a tempore quo nova Statuta essent introducta, tantopere mutata fuit societas Indica atque rationes civiles et mercatoriae, ut novam legislationem introduci necesse esse videretur: optandum etiam videbatur, ut haec nova legislatio ad patriae legislationis exemplum conficeretur. Sed quum leges novae in patria hoc tempore nondum essent constitutae, decreverunt Commissarii generales (*Commissarissen-generaal*), ut provisoriae tantum dispositiones introducerentur, quod revera factum est decreto d. 10 m. Januarii a. 1819. Ab hoc inde tempore legislatio eadem mansit usque ad annum 1839. Missus quidem est Bataviam, anno 1830 vir ampl. G. C. HAGEMAN, praeses Curiae Supremae Indiae Orientalis, qui legum Neerlandicarum in colonias introductionem praepararet; sed effectum eam missionem fuisse destitutam mirum nemini videbitur, qui reputat in ipsa quoque patria legum, per rerum politicarum conversionem, jam decretam introductionem fuisse revocatam.

Cum autem nova patriae conditio exigere videretur

ut secundis curis jam scriptae leges submitterentur, profectus quidem a. 1836 in Indiam est vir ampl. SCHOLTEN VAN OUD HAARLEM, qui praeses esset supremae Curiae, mandatum tamen de emendanda legislatione non accepit. Quam vero anno 1839 propter adversam valetudinem colonias relinquere coactus esset et in patriam rediisset, diligentius legislationi Indicae cura adhiberi coepit.

Sed de his in sequenti capite videbimus: haec nobis sufficere videntur ad exponendam externam quae dicitur juris conditionem ante introductos novos codices in coloniis Indicis. Jam ad alterum caput transire possemus, in quo enarrare nobis proposuimus novae legislationis Indicae historiam, nisi necesse nobis videretur ut pauca iis quae jam diximus subjungeremus. Multi scilicet in patria nostra, et inter eos celebres jureconsulti ut v. c. viri cons. DE PINTO et VAN DER LINDEN, acriter rationem vituperarunt qua usi sunt singuli fere Indici legislatores in introducenda legislatione in coloniis; improbarunt quod multi conatus ad reficiendam istam legislationem irriti semper fuerint: quod ad hodiernum usque tempus jus dictum fuerit in India e codice qui ante duo secula esset confectus, puta *Statuta vetera Bataviae*. Quae sententia licet universe non omnino falsa esse videatur, minus tamen in eo aequa esse videtur, quatenus non agnoscant majorem vim quamdam semper prohibuisse, ne legislatio rite et ordine jam ante multum tempus in coloniis fuerit intro-

ducta. Et hoc negligere mihi praeterea videntur quod ante 50 annos, codificatio apud nos quoque nulla fuerit: ante istos 50 annos in patria, si jus Romanum excipimus, jura quidem habuimus provincialia et peculiariorum urbium regionumque placita pro lege observanda, uti fonte ita etiam nomine ipso inter se diversa; sed jus aliquod scriptum, universum, codicis instar colendam neque habebamus, neque habere adeo per publicam politicamque rerum conditionem poteramus. Mirandum igitur non est quod coloniae statum legislationis patriae secutae sint. Praeterea status ille legislationis melior fuisse mihi adeo certo sensu videtur in coloniis quam in patria ipsa. Nam habuerunt in coloniis, a remotissimis inde temporibus, saltem aliquem legum codicem, in ipsa India Orientali confectum, qui licet sine dubio non omnibus nominibus esset absolutus, tamen omnino non erat improbandus: tali autem codice in patria semper caruimus. Quod autem ad conatus attinet qui adhibiti sunt ut reficeretur Indica legislatio, hi mihi videntur omnino temporum et rerum vi effectum destituti fuisse. Cum enim in colonias mitteretur vir ampl. HAGEMAN (a. 1830) ut ibi legislationis patriae introductionem praepararet, rerum apud nos politicarum conversio, in patria causa fuerit emendanda atque ad novam rationem redigenda videretur nostra legislatio; illos ergo codices quibus in patria revisione opus esset in colonias introduci vix ac

ne vix quidem potuerunt: missio itaque haec viri ampl.
HAGEMAN vi temporum me iudice effectum caruit.

Idem nobis dicendum videtur de missione viri ampl.
SCHOLTEN VAN OUD HAARLEM qui Bataviam profectus est
anno 1836, tempore scilicet quo leges Franco-Gallicae,
quae tunc adhuc in patria vigeabant, in eo essent ut
abrogarentur. Illa Gallica legislatio in coloniis pro-
mulgari procul dubio hoc tempore non potuit, et nos-
tri novi codices non ante annum 1838 sunt introducti.
Si praeterea scire potuissent apud nos codificationem, quae
jam jussa erat a Summo Imperante, nondum rege, GUIL-
IELMO I anno 1814, differendam fuisse ad annum usque
1838, certe jam pridem de componenda atque reficienda
Indica legislatione cogitare potuissent, sed hoc neque in
patria, neque in coloniis cognoscere et praevidere po-
tuerunt.

Haec mihi in medium proferenda visa sunt, ut osten-
dam quam ob rem nos non severiores esse debeamus
quam oportet in dijudicanda ratione qua leges et codices
in coloniis Indicis sint introducti. His autem praemissis
ad alia capita transgrediamur.

CAPUT SECUNDUM.

NOVAE LEGISLATIONIS IN INDIAM ORIENTALEM INTRODUCTIO.

Expositis breviter historia legislationis in *Coloniis Indicis-Orientalibus* et *juris* conditione ante introductos novos *codices*, jam de *nova* *legislatione* ipsa videamus: jam indicandum quae *curae* *novae* *legislationi* fuerint adhibitae, et monendum quomodo *novi* *codices* in *lucem* *per-*
venerint; hisce *peractis* ipsos recensere *codices*, *illo-*
rumque *conditionem* *exponere*, quatenus *illud* *ad* *nostrum*
argumentum *pertinere* *videatur*, paucis conabor.

Brevi post *reditum* in *patriam* *viri* *ampl. SCHOLTEN*
VAN OUD HAARLEM, *Curiae* *supremae* *Indiae* *Orientalis*
Praesidis, qui *adversae* *valetudinis* *causa* *colonias* *reli-*
querat, *regio* *decreto* *d. 15* *m. Aug. a. 1839* *praeses*
ille *dictus* *est* *collegii* *elaborandae* *novae* *legislationi* *Iu-*
dicae: *adjuncti* *illi* *fuerunt* *in* *hoc* *collegio* *viri* *ampl.*

SCHNEITHER, VAN NES, et RINIA VAN NAUTA. Cum aliis viris in India summis muneribus functis in patria hoc tempore degentibus collegium consilia inivit.

Primum quod egit collegium versabatur in elaboranda lege de re judiciaria et administranda justitia. A collegio concepta lex regi est oblata, qui illam, audito supremo Regni Consilio (Staatsraad), decreto diei 27 m. Julii a. 1842 comprobata Bataviam misit, ut ibi de illa institueretur accuratior disquisitio. Inde multis aucta animadversionibus lex illa in patriam rediit, ibi mutationes multas subiit et denuo audito rursus de illa supremo Regni Consilio, decreto diei 16 m. Maji anni 1846 a Rege fuit confirmata.

Hac lege ita perfecta, collegium composuit et Regis approbationi submitit:

- 1°. Legem quae generaliora continet iuris praecepta, quaeque inscribitur *Algemeene bepalingen van Wetgeving voor Nederlandsch-Indië*;
- 2°. Codicem Civilem;
- 3°. Codicem Mercatorium;
- 4°. Legem quae continet dispositiones poenales ad coercenda maleficia commissa a decoctoribus, sive mercatores sint sive homines privati, et ab iis que moratorium solvendi creditores adepti sunt (*bepalingen betrekkelijk misdrijven begaan ter gelegenheid van faillissement en bij kennelijk onvermogen, mitsgaders bij surséance van betaling*).

Hae tamen leges non in Indiam sunt missae ut de iis institueretur disquisitio, sed, audito de illis summo Regni Consilio, statim a Rege sunt confirmatae. Quod mirum fortasse videatur, cum sane lex de re iudiciaria animadversionibus in India factis, multa haberit accepta referenda. Videtur tamen de civilibus, mercatoriis et poenalibus praeceptis, quae in India valerent, facilius judicari sententiaque pronuntiari in patria potuisse quam de iudiciis et procedendi forma.

Quum haec pars operis novae Indicae legislationis esset confecta, quumque collegium in eo esset ut ad ceteras partes tractandas transiret, vir amp. SCHOLTEN VAN OUD HAARLEM, collegii praeses, propter adversam valetudinem honorifice e munere demissus est regio decreto d. 15 m. Decemb. a. 1846, simul vero melius summo Imperanti visum est ut ceterae leges, ad societatis Indicae rationes vel imprimis accommodandae, in ipsa India conficerentur: quam ob rem decreto ejusdem diei 15 Decemb. 1845 collegium honorifice est dissolutum; ut autem Regis propositum, ut nempe nova legislatio in ipsis coloniis conficeretur, ad bonum eventum perducere posset, necesse visum est ut Bataviam mitteretur Jureconsultus, qui non solum operi tam gravi aptus esset, sed qui etiam deliberationibus de jam confirmatis codicibus interfuisset adeoque huius universae rei gnarus peritusque esset. Regio igitur decreto ejusdem

diei 15 m. Decemb. a 1845 Regni Consiliarius (Staatsraad) ampl. H. L. WICHERS utriusque supremæ in India Curiae praeses dictus est, et mandatum accepit ut opus novae legislationis absolveret et Indiae Governatori adesset in introducendis novis codicibus.

Ampl. WICHERS revera mox Bataviam profectus est, brevi postquam Regis decreto diei 16 m. Maji a. 1846 haec praeter alia essent constituta :

1°. Ut novi codices, et qui jam in ipsa patria essent comprobati et qui adhuc in coloniis erant conficienda, a supremo Governatore promulgarentur die 1 m. Maji a. 1847;

2°. Ut Governatori constituere liceret ne hoc vel illud novae legislationis caput legis vim statim obtineret, vel ut modum etiam ei imponeret, si saltem major quaedam difficultas prohiberet ne statim aut immutata introduceretur;

3°. Ut Indiae Governator omnes istas leges et decreta promulgaret quae novae introducendae legislationi inservire possent, de his tamen promulgandis supremam in India Curiam consuleret;

4°. Ut summo Governatori daretur potestas subjiciendi Codici Civili et Mercatorio vel parti eorum, vel incolas omnes vel illorum partem, prouti hoc maxime expedire videretur;

5°. Denique ut Governator codicem poenalem coloniis

Indicis conficiendum curaret, et dum ille codex conficeretur placita promulgaret, de illis legislationis poenalis capitibus, quae dilationem non paterentur.

Postquam Bataviam pervenit ampl. WICHERS, statim manum novae legislationi elaborandae admovit et effecit adeo ut sequentes leges compositae et a Gubernatore summo fuerint comprobatae;

1. Ordinatio de modo procedendi in causis civilibus istis quae apud supremam Curiam et Consilia Justitiae agitentur (*Reglement op de Burgerlijke Regtsv. voor het Hoog Gerechtshof en de Raden van Justitie*).

2. Ordinatio de modo procedendi in causis criminalibus apud supremam Curiam et Consilia Justitiae (*Reglement van Strafvordering voor het Hoog Gerechtshof en de Raden van Justitie*);

3. Ordinatio de exercenda politia, de modo procedendi in causis civilibus et criminalibus inter Indigenas eosque qui illis assimilantur in Insula Java et Madura. (*Reglement op de uitoefening der Politie, de Burgerlijke Regtsvordering en de Strafvordering onder de Inlanders en de daarmede gelijk gestelde personen op Java en Madura*);

4. Speciales dispositiones factae ut bene et ordine introduceretur nova legislatio etiam in possessiones quae sitae essent extra Javam et Maduram. (*Bijzondere bepalingen ter verzekering der regelmatige werking van*

de nieuwe Wetgeving in de bezittingen buiten Java en Madura);

5°. Dispositiones de introducenda nova legislatione et de transitu a veteri ad novam legislationem (*bepalingen omtrent de invoering van — en de overgang tot de nieuwe Wetgeving*);

6°. Dispositiones quibus ordinantur nonnulla capita legislationis poenalis quae dilationem non paterentur (*bepalingen tot regeling van eenige onderwerpen van Strafwetgeving welke eene dadelijke voorziening vereischen*); quae dispositiones valerent ad tempus usque quo codex Poenalis coloniis Indicis esset absolutus, conficiendus scilicet ut jussum erat in regio decreto diei 16 m. Maji a. 1846;

7°. Dispositiones nonnullae minoris momenti, quae in hac quidem disputatione silentio praeteriri posse mihi videntur.

Constat itaque nova legislatio Indica partim ex hisce legibus in India ipsa compositis ope viri ampl. WICHERS et a Gubernatore comprobatis, partim ex codicibus quos supra jam nominavi, qui in patria compositi, ibi ab ipso Rege erant confirmati.

Hae leges omnes ex regio decreto d. 16 m. Maji a. 1846 (ut supra jam monuimus) promulgari debebant ab Indiae Gubernatore eodem die 1 m. Maji 1847: fieri tamen id non potuit, quia naves quae exemplaria Co-

dicum in patria confirmatorum et typis descriptorum in colonias transferrent, longius quam oporteret iter facientes, serius quam exspectarentur advenerunt. Necessae igitur est visum ut dies quo introduceretur nova legislatio differretur ad diem usque 1 m. Mart. 1848: quin hic dies etiam differri debuit ad diem 1 m. Maji 1848, quia die 1 m. Mart. 1848, codices in India conficiendi non omnino erant absoluti: qua in re usus est Gubernator Indiae potestate quae ipsi fuit concessa regio decreto 10 m. Febr. 1847. Ipso igitur die 1 m. Maji 1848 nova legislatio in coloniis Indicis Orientalibus tandem fuit introducta, et desideratur in coloniis, ut in patria, sola lex poenalis.

Cujus autem naturae sit haec nova legislatio, haud difficile indicare possumus: scilicet ut universe constat, ad exemplum nostrae legislationis est confecta. — Ne de ceteris codicibus loquamur, si quis Codicem Civilem inspiciat, quem peculiariter in hoc opere tractare nobis proposuimus, videbit istum a Codice Civili nostro parum differre. Uterque in quatuor libros est divisus, in quo tractantur 1°. personae, 2°. res, 3°. obligationes, 4°. probatio et praescriptio.

In nonnullis tamen locis aliquid mutatum esse patet, v. c. in omnibus iis in quibus vel natura et localis conditio coloniarum, vel mores a nostris diversi mutationem exigebant. Luculentum imprimis est exemplum in

tutelis. Sed etiam in libro primo deest omnis titulus secundus, inscriptus: *van Nederlanders en Vreemdelingen*, in libro secundo novus titulus interpositus est qui inscribitur: *van heerendiensten*, et in libro tertio titulus cui nomen: *van het regt van beklemming* est omissus.

Majoris etiam momenti occurrunt mutationes in Gubernatoris decreto, quod inscriptum est: *bepalingen omtrent de invoering van — en de overgang tot de nieuwe Wetgeving*, in qua lege usus est summus Gubernator potestate, quae ipsi est concessa regio decreto diei 16 m. Maji a. 1846, quo, ut supra vidimus, constitutum est, ut summo Gubernatori liceret jubere, ut hoc illudve novae legislationis caput legis vim non statim obtineret vel mutationem aliquam subiret, si saltem major quaedam difficultas prohiberet, ne statim immutatum introduci posset. Has autem praecipuas mutationes in sequentibus capitibus expositurus sum; sed antequam hoc facere incipiam, paucis agendum est de opinione eorum, quibus improbandum videtur, quod nostra legislatio qualis est, in coloniis introducta sit sine praevia revisione et emendatione 1).

Nam licet libentur concedam codices nostros non omnibus numeris absolutos esse, et multa iis inesse quae emendari possint, non mihi videtur constare er-

1) DE PINTO et VAN DER LINDEN, *Themis*, IX, p. 202 seqq.
2*

rores in nostris codicibus tam esse graves, ut legislationi opus fuerit revisione antequam in coloniis introduceretur. Deinde in legislatione coloniae potius patriam sequi debent, quam patria colonias. — Studuit etiam legislator, et jure quidem ut mihi videtur, ut una esset eademque, ut maxime fieri posset, nostra et coloniarum legislatio, revisio autem causa esset cur tolleretur haec unitas. Denique tempus urgebat: novi codices in coloniis jamjam erant inducendi; ut vero emendari possent, longo temporis spatio legislatori opus fuisset, utrum vero ulterior dilatio utilis fuisset coloniis valde dubito. Si patria legislatio aliquando emendabitur, et esse videtur omnino emendanda, non dubito quin novi codices Indici hujus emendationis participes futuri sint, idque sane ut brevi fiat quisque optabit.

His autem praemissis ad alia capita opusculi transgredior, in quibus nonnulla loca Codicis Civilis Indici tractaturus sum.

CAPUT TERTIUM.

DE INCOLIS ET PEREGRINIS.

Ex ipsa lege pateat necesse est, quinam huic legi subjiciantur, inter quas personas rite secundum hanc legem jus dici possit.

In lege autem nostra dicta: *Wet houdende Algemeene bepalingen der Wetgeving van het Koninkrijk* de hocce argumento agitur. Art. 9 hujus legis constituit: jus civile idem esse peregrinis atque Neerlandis, nisi lex expresse contrarium jubeat; in quo quidem legis placito minus planum esse illud *idem est* nunc non urgeo ¹⁾; sed sciri ita oportet, qui sint Neerlandi qui peregrini, et hoc est quod ex codice civili nostro cog-

¹⁾ Vid. praecept. mei clar. VAN HALL, *Handleiding van het Burg. Regt*, § 11 et 12 pag. 15 usque ad. 22.

novimus. Est enim peculiaris in nostro Codice de hac re titulus, in quo docetur quinam Neerlandi sint; qui hoc fiant et quibus modis, videre possumus art. 5, 6. cf. art. 11. C. C. Quod vero ad jus publicum attinet, quaestio pertingitur tantum in art. 7 legis Fund. et plenius exponitur in lege d. 28 Jul. 1850 (St. Bl. N^o. 44).

Discrimen igitur inter Neerlandos et peregrinos, quod attinet ad ius civile, ex ipso Codice Civili nostro cognovimus: politica vero quae sint illorum jura in lege fundamentali et in lege diei 28 Jul. 1850 citata docetur. In legibus autem Indicis de conditione civium Neerlandorum, eorumque et peregrinorum sive politica sive civili conditione plenius non agitur; et vero civibus nostris ius civitatis adimi aut peregrinis adeo dari, peculiaribus Indiae legibus ac ne vix quidem potuit.

In coloniis autem nostris alia omnino attenditur hominum, quod attinet ad jus tum civile tum publicum, differentia. Neglecta scilicet, legibusve patriae relictis differentia inter cives et peregrinos, de discrimine agitur, quod inter incolas conditionis diversae in coloniis Indiae Orientalis obtinet.

Habemus igitur in coloniis: 1^o. Neerlandos qui ibi domicilium habent; 2^o. Incolas et indigenas insularum in Archipelago Orientali, quae quidem ad colonias Indicas Orientales pertinent; 3^o. Homines ex quavis oriundos regione, qui cum consensu summi Imperantis colonias

inhabitant. 4°. Muhametanos, Mauros, Arabos, Sinen-
ses aliosque paganos. Melius ergo et necesse visum
est, de hac re seperatim et dedita opere agere, et dis-
crimen constituere inter incolas et peregrinos, et quae
civilis sit eorum juris ratio certis verbis et legalibus
dispositionibus definire. Et id hoc loco laude dignum
videtur, quod istud discrimen non in ipso C. C. sit ex-
positum, sed in illa lege, quae inscribitur: *Algemeene
Bepalingen van Wetgeving voor Nederlandsch-Indie*,
quoniam nunc in possessionibus nostris Indicis Orienta-
libus difficultas ista oriri nequit, quod aliquis alia jura
politica, alia privata habeat, ut apud nos saepe iam ob-
tinuit, ubi haec jura in Codici Civile et in lege funda-
mentali non eodem modo sunt exposita; sed illam rem
paullo amplius exponere pergamus.

Art. 3 legis hujus citatae statuit ad similitudinem legis
nostrae, jus civile et mercatorium idem esse incolis colo-
niarum Indicarum atque iis qui incolae non sunt, nisi
lex expresse contrarium jubeat. Videre igitur debemus
qui per hanc legem incolae sint, qui non. Hoc autem
docetur in art. 4, 5, 6, 7, 8, ejusdem legis, scilicet
lex vocat incolas Indicarum coloniarum:

1°. Omnes Neerlandos qui colonias Indicas Orienta-
tales inhabitant;

2°. Incolas et indigenas insularum in Archipelago Orien-
tali, quae quidem ad colonias Indicas Orientales pertinent;

3^o. Omnes homines ex quavis oriundos regione, qui cum consensu Summi Imperantis in coloniis Indicis habitant (art. 4); de modis quibus iste consensus obtineri potest, vide decreta diei 28 Aug. a. 1818 (Ind. Staatsbl. N^o. 60) et diei 10 Jan. 1834 (Ind. Staatsbl. N^o. 3).

Peregrini sunt illi qui non sunt incolae coloniarum Indicarum, exceptis Neerlandis et illis qui tales ex legibus Neerlandicis considerantur (art. 5).

Viri CONS. DE PINTO ET VAN DER LINDEN ¹⁾ rogant quales sint Neerlandi, utrum incolae an peregrini? Incolae, ajunt, non sunt, nimirum quando etiam sine Summi Imperantis consensu colonias inhabitant (art. 4), peregrini neque sunt (art. 5). Et re vera potuisset fortasse legislator ipsam Neerlandorum conditionem in lege plenius definire, sed, ut dixi, in legibus Indicis agnoscenda potius quam definienda videtur civium in patria degentium publica privataque conditio. Neque videtur haec omissio Neerlandis posse nocere.

Incolae sunt divisi in duas classes, nimirum in Europaeos et qui iis assimilantur, et in Indigenas et qui iis assimilantur.

Europaeis assimilantur:

1. Omnes Christiani, etiam si qui sunt inter indigenas;

¹⁾ Themis IX pag. 361.

2. Omnes alii homines ex quavis oriundi regione, exceptis Arabis, Mauris, Sinensibus, Muhametanis, et paganis; hi scilicet Indigenis assimilantur. Videamus nunc quae illorum sint jura.

Initio huius capituli jam monuimus articulum 3 legis quae continet generales dispositiones legislationis jubere, ut jus civile et mercatorium idem sit incolis atque iis qui coloniarum incolae non sunt: si autem art. 3 inspiciamus legis de introducenda nova legislatione et de transitu a veteri ad novam legislationem, videbimus in hoc articulo omnino aliud quid esse constitutum; ibi enim docetur: ad tempus usque, quo de hac materie specialiter erit cautum, eandem mansuram juris conditionem Christianorum qui ad Indigenas pertineant, qua jam usi sunt ante introductos novos codices, praeterea quatenus ante hoc tempus Indigenis sint assimilati, et post introductam novam legislationem, Indigenarum juris conditionem etiam illorum futuram.

Ita constituendi potestas data est Gubernatori in art. 10 legis quae continet generalia praecepta legislationis. Quod si quis art. 3 et 9 ejusdem hujus legis inspiciat, facile ei persuadebitur, valde diminuta ita fuisse jura et privilegia illorum Christianorum, peculiari illa Gubernatoris constitutione. Praeterea parum convenire visum fuit hocce placitum cum art. 1 legis de trans. a vet. ad nov. leg., in quo abrogantur om-

nes de jure civili atque mercatorio leges, decreta et legales dispositiones, quae pro lege valuerunt antequam novi codices essent introducti; quod qui statuunt non satis attendere videntur, in ipsa illa lege id statui tantum ratione eorum, ad quos nova lex pertinet: at vero ipsa illa lege cavetur, quominus hoc quidem placitum novae legislationis valeat. Praeterea vero, ratione habita modi, quo Indica societas sit composita, e quibus partibus populatio consistat et quis sit cultus gradus quo haec populatio utatur, necesse visum est ut a principiis quae sibi posuerat legislator in nonnullis capitibus recederet. Nam patet Christianos illos qui inter Indigenas inveniuntur, non magis esse exultos quam caeteros Indigenas, et antequam assimilari possint Europaeis, bene inquirendum est an haec assimilatio iis utilis sit futura, an effici possit, et an ex politica causa sit optanda.

Duobus modis plane diversis, in Indicis coloniis jus dicitur:

1°. Ex codicibus nuper introductis, et compositis secundum principia juris Europaei. Ex his codicibus jus dicitur incolis coloniarum, si saltem sunt Europaei vel iis assimilati, exceptis Christianis qui inveniuntur inter Indigenas, ut supra jam monuimus;

2°. Ex legibus religiosis, institutionibus popularium et moribus Indigenarum; secundum illos jus dicitur

Indigenis et qui illis assimilantur, praeterea hominibus Christianis qui sunt inter Indigenas. — Haec distinctio facta est in art. 9, 11, 12 legis quae continet generales disp. legisl. Licet ergo ex hac lege Indigenis speciali modo jus dicatur, ex eorum scilicet religiosis institutionibus, ad tempus usque saltem quo Europaeae legislationi subiecti futuri sunt, restat tamen modus aliquis quo Europaeis legibus subjungi possint: id in hoc casu obtineri potest quando sua sponte se eorum legibus submitunt. Et hoc quidem ita fit: si v. c. Indigenae se contractu obligaverint, et velint hanc obligationem ex Europaeis legibus dijudicari, in instrumento quo contractus continetur voluntatem significare possunt, ut se Europaeae legislationi submittant, quod etiam fieri potest instrumento authentico vel privato, quod ut valeat in jure, munitum esse debet declaratione tabellionis, qua significet se istum Indigenam bene noscere et subscriptionem eorum se esse scriptam (art. 11, 13 legis quae cont. gener. disp. legisl.) Quodsi de aliqua re hae religiosae institutiones non caverint, judex generalia praecepta legislationis Europaeae normam sumet, secundum quam Indigenis jus dicat (legis de transitu a veteri ad nov. legisl. art. 4). Caeterum quod istos mores istasque religiosas institutiones attinet, judex illis non in juredicundo utatur si generalibus praeceptis justitiae et aequitatis adversentur (art. 11 l. cont. gen. disp. leg.) Errare videntur

viri CONS. DE PINTO et VAN DER LINDEN ¹⁾ qui statuunt legem non definire, quinam istarum religiosarum institutionum justitiam et aequitatem dijudicare debeant: nimirum in eadem lege quae continet gen. disp. legisl. art. 20. judici hoc est mandatum; neque facio cum his viris cons. qui hanc rursus dispositionem acerbis verbis vituperant, quae scilicet judicem quasi legislatorem faceret, quum illi potestatem daret legis aequitatem et justitiam dijudicandi, et illius arbitrio relinqueret utrum ex lege Europaea, an ex consuetudinibus et moribus Indigenarum ipsis jus diceret. Nam hoc ex art. 11 legis quae continet gen. disp. legisl. judici est praescriptum, ut in juredicundo de Indigenis, ipsorum consuetudinum religiosarumque institutionum rationem haberet, et tunc tantum Europaeis legibus uteretur, quum essent hae institutiones vulgaribus aequitatis et justitiae notionibus contrariae. Praeterea fieri posse mihi non videtur, ut populo fere omnimodo inculto, quales sunt coloniarum Indigenae, qui etiam vulgares suas justitiae notiones ex religione desumere solent, ex Europaeis codicibus jus diceretur, neque etiam ut emendarentur illorum religiosae institutiones. Quid aliud igitur haec in re deberet constitui, et quomodo haec dispositio judici legislatoris partes tribuat non video, neque meam

¹⁾ Themis IX, p. 363.

facio conclusionem cons. DE PINTO et VAN DER LINDEN
(*Themis*, IX, p. 364) quae sic se habet: » *Wij be-*
» *twijfelen echter, of zulke willekeurige en onbestemde*
» *wetten, die alles op losse schroeven stellen, wel veel*
» *zullen bijdragen tot de gewenschte regtzekeerheid der*
» *Inlandsche bewoners onzer Oost-Indische bezittingen.*»

Duae adhuc supersunt dispositiones quae ad meum ar-
gumentum pertinere videntur, quas hanc ob causam le-
viter mea disputatione pertingam. Explicare scilicet
conabor, quae me quidem iudice fuerit legislatoris Indici
sententia, quum constitueret art. 15 et 16 legis quae
continet disp. de trans. cet. — Et primum quidem videa-
mus de art. 15. Jubet hic art., ne Indigenae aut qui
illis assimilantur nuptias incant cum Europaeis aut qui
iis assimilantur, nisi expresse et sua sponte se legisla-
tioni Europaeae, quod attinet ad jus civile et mercato-
rium subjecerint.

Ut perspicue pateat quae fuerit mens legislatoris in
hoc constituendo articulo, et quae causa fuerit disposi-
tionis a nostra civili legislatione tam diversae, ex hujus
articuli historia id explicandum esse videtur.

In concepto Codice Civili Indico Regi oblato art.
31, praeter alias causas, quae prohiberent quominus
matrimonia inirent certi homines, puta illos qui vin-
culis affinitatis essent conjuncti, etiam jussum erat ne
Indigenae cum Europaeis matrimonia inirent. Supremo

Regni Consilio de hac materie deliberanti necesse esse visum fuit, ut de hac re in speciali articulo ageretur, quippe quum non oporteret causam hujus naturae, quae matrimonia prohiberet inter certos homines ratione habita eorum religionis aut politicae conditionis, contineri in eodem articulo, in quo citarentur causae quae matrimonia prohiberent propter affinitatis aut cognationis gradum, qui existeret inter illos qui nuptias inire desiderent. Idcirco constitutum est, ne de hac re in C. C. ageretur. Et revera silentium legis de hac materie, eandem vim habere videtur atque si lex expressis verbis talia matrimonia prohibuisset; nam leges tantum vim habent in Europaeos et qui illis assimilantur, (art. 9 l. quae continet gen. disp. legisl.); hi tantum secundum nostram legem civilem rite matrimonium inire possunt, et juris privilegiorum participes fieri, quae Codex Civilis conjugibus tribuit. Indigena igitur non admitti potest ad ineundas nuptias secundum nostram legem, nisi haec lex in illum etiam vim habeat. Legi civili, quoad matrimonia tantum pertinet, illos subicere non utile videtur neque optandum, sed quisque Indigena ipse se legislationi Europaeae potest submittere, quae factas illi data est, ut supra jam vidimus, art. 11 en 13 legis quae cont. gen. disp. legisl. et hanc ob causam etiam dispositiones de matrimoniis de illo valebunt. Optandum censuit suprema Indiae Curia, de materie hac

deliberans, ut speciali dispositione de ea causa in lege caveretur, et haec hujus articuli origo est.

Rogabit fortasse aliquis, cur necesse sit ut universae legislationi civili et mercatoriae Indigena se subjiciat si nuptias inire velit; haud difficile est hoc docere: scilicet ex matrimonio alia civilia vincula nascuntur, puta successio hereditaria alia, quae eadem lege atque ea secundum quam nuptiae sunt confirmatae, regantur necesse est. Idem dicendum de jure mercatorio: ut exemplum moneamus, si quis conjugum negotia mercatoria contraxerit (daden van koophandel gedaan heeft), istud etiam secundum eandem legislationem dijudicandum esse procul dubio necesse visum est.

Rogandum etiam est, an ex politica ratione matrimonia inter Europaeos et Indigenas debeant prohiberi: et de hac quaestione, quippe quae a nostra disputatione non omnino aliena esse dici possit, antequam pergamus cetera tractare, paucis videamus. Ante introductam novam legislationem has nuptias contrahere licebat, si Indigena ad Christianam religionem transire vellet: nunc hoc mutatum est, et jure ut mihi videtur; secundum novam legislationem licet Indigenae matrimonium inire cum Europaea, si Indigena se legislationi Europaeae submittere vult quod magis mihi videtur convenire cum art. 26 C. C., quo declaratur legem matrimonium tantum ex ejus civilibus rationibus considerare.

Fortasse quis objiciet ex bona politica ratione haec matrimonia esse prohibenda, quia hoc praecipue agi debet ut Europaeus moralem vim in Indigenam servet: hanc moralem vim necessario minui istiusmodi matrimoniis, quae similitudinem aliquam inter Europaeum et Indigenam videntur efficere; sed etiam id ab altera parte in medium est proferendum: si Indigena se Europaeae legislationi submittit, hoc efficit ut multas consuetudines et mores quae ad suam religionem pertineant relinquat, ut v. c. concubinatum, potestatem mariti in uxorem alia, imo hoc efficere posset ut forte totam suam religionem relinqueret. Tandem si bonos mores attendamus, certe optandum esset ut concubinatus, qui in coloniis Indicis abrogari nequit, ut vulgo notum est, legali matrimonio posset permutari.

Est praeterea in art. 40 leg. de trans. dispositio quae omnino ad nostrum pertinet argumentum, peregrinis nempe facultatem tribuens, quae illis art. 837 et 910 C. C. I. erat adempta, ut in nostro Codice Civili obtinet in art. 884, 957. Secundum jus civile nostrum scilicet, peregrinis non licet in patria nostra heredes scribi, vel ex testamento acquirere, nisi eodem modo, quo Neerlandus in patria hujus peregrini heres scribi vel ex testamento acquirere possit, et haec est gravissima exceptio art. 9 legis quae inscribitur: *Wet houdende Algemeene Bepalingen der Wetgeving van het Koningrijk*. Ad exem-

plum autem legis civilis nostrae, artt. 837, 910 C. C. I. ad verbum sunt descripti; itaque ut peregrinus in coloniis nostris Indicis Orientalibus non heres scribi neque ex testamento acquirere posset, nisi eodem modo quo incola coloniarum nostrarum idem jus haberet in patria istius peregrini. In art. 40 vero legis de transcautum est, ne duo citati artt. C. C. legis vim statim obtinerent, et hoc factum esse quidem videtur propter causas politicas, quales sunt maxime sequentes:

1°. Ante introductam novam legislationem semper sine ulla conditione licuit peregrino, ut heredis aut legatarii nomine ex testamento acquireret: in legislationis autem materie optandum nunquam esse potest, ut a favorabilibus principiis ad magis angusta et minus favorabilia transgrediatur legislator;

2°. Hoc jus, quod peregrinis semper datum est ut in coloniis heredes scribi possent, causa fuit cur multi peregrini in India Orientali domicilium collocarent, ibi fundorum et agrorum domini fierent et industriam pecuniamque excolendis agris et terris adhiberent. Si autem lege esset cautum ne istiusmodi peregrini heredibus legitimis, si quidem colonias non inhabitarent, jure hereditario in ejus bona succedere liceret, hoc forte effici posset ut ille bona sua in patriam transferret, quae bonorum in aliam regionem translatio, certe damno esset coloniis;

3°. Tertia etiam orta est difficultas, quae antequam

art. 837, 910 C. C. I. pro lege observari possint, resolvenda erat; haec scilicet est ea difficultas:

In quibus regionibus potestne incola coloniarum nostrarum heres scribi vel ex testamento acquirere? Et ea quaestio non tam facile videtur posse resolvi, quam ut primo quidem conspectu quis putet. In patria nostra scilicet de hac re difficultas oriri nequit; nam tractatus per quos convenerit Summus noster Imperans cum aliis civitatibus, de abrogando *jure albinatus*, quod in Francia semper viguit ¹⁾, de hac re dubitationem superesse non patiuntur. Quod vero non tam perspicue patet, est ea quaestio an isti tractatus etiam valeant de incolis nostrarum coloniarum; quod si etiam id affirmemus quod attinet Neerlandos qui colonias Indicas inhabitant, dubitari tamen jure potest, num hi tractatus valeant de hominibus cujusvis religionis et ex quavis oriundis orbis terrarum regione, Indiae nostrae Orientalis incolis.

Haec me judice causa est habenda, cur legislator Indicus constituerit, ut art. 837 et 910 C. C. I. vim legis non obtinerent priusquam hae difficultates a Summo Imperante essent resolutae.

Superest nobis ut moneamus, quid doceatur in art. 16 leg. de trans. cet. et ut verbo causam indicemus quapropter haec dispositio videatur esse facta. Docet art.

¹⁾ Art. 11, C. N. Secus hodie per legem d. 19 m. Jul. a. 1819.

16 citatae legis licere Indiae Gubernatori dijudicare, utrum iis, qui litteras legitimationis rogant, satisfieri debeat an non, dummodo istae litterae rogatae sint intra annum post introductam novam legislationem. Haec dispositio videtur esse facta in commodum istorum liberorum qui nati essent ex concubinato, qui, ut supra jam monuimus, in coloniis aboleri vix potest, et ratione habitae societatis Indicae, ex multorum sententia permitti debet. In istorum igitur liberorum utilitatem melius visum est, ut severiores de legitimatione dispositiones in C. C. non statim introducerentur.

Et hic credo me subsistere posse in disputatione de incolarum et peregrinorum juribus secundum jus civile Indicum. Huc autem praecipue mea disputatio redit: ostendere scilicet conatus sum:

I. Discrimen inter incolas et peregrinos expositum esse in speciali lege, non in Codice Civili ut apud nos obtinet, quod non tam idoneum esse videtur;

II. Plane aliam esse divisionem Indiae incolarum quam apud nos;

III. Quae in iuridicando de Europaeis et Indigenis ratio haberi debeat a iudice;

IV. Nonnulla specialia jura quae coloniarum incolis tribuantur.

Jam ad aliud ergo speciminis caput transcamus.

CAPUT QUARTUM.

DE TUTELIS.

Pervenimus jam ad argumentum, quod propter modum plane diversum quo societas Indica Orientalis est composita, alia quoque ratione tractari debuit. Locum scilicet de tutelis secundum Codicem Civilem Indicum aliquantum accuratius exponere aggredior, atque monere conabor, quas ob causas tutelae non eodem modo atque in patria nostra exercentur, quibus personis vel collegiis deferantur, et quae praeterea universe circa eas sint observanda.

Est igitur haec peculiaris societatis Indicae natura, quod fere nemo Europaeus, ut in patria quisque sua, ita etiam vitam in coloniis degat: ad unum omnes fere post aliquod tempus patriam rursus repetunt. Dicere vix opus est, qualem vim haec continua hominum cum

aliis permutatio in multas habeat institutiones. Uti in alias multas res, ita etiam in naturam dominii et bonorum e quibus constat res familiaris singulorum Europaeorum, qui coloniis inhabitant, manifesto hanc vim cernimus, quippe bona illa istiusmodi esse debent ut facile e coloniis in patriam possint transferri.

Hujus rei ratione habita, utile visum est ut de tutela caveretur, ne scilicet minores in tutela degentes damnum paterentur, si tutores vel veri vel honorarii subito, ut saepe fit, colonias relinquerent. Ne igitur ratione bonorum damnum paterentur, lex Civilis orbos tuendos censuit, in eum fere modum constituta tutela, quo univ-erse exigi potest ad normam ejus quod in patria obtinet: 1^o. tutelae locus est post mortem alterutrius parentis, et ita parens superstes ipso jure est tutor, art. 345 C. C. I., cf. art. 400 C. C. N.; 2^o. parens superstes testamento in suum locum alium substituere potest tutorem testamentarium, art. 355 C. C. I., cf. art. 409 C. C. N.; 3^o. si quis minor orbus relictus est, et parens superstes tutorem testamentarium ei non nominaverit, Consilium Justitiae tali minori tutorem dat, art. 359 C. C. I., cf. art. 413 C. C. N. Quod vero tutores honorarios sive subrogatos attinet, hi nominari a parentibus nequeunt, sed istorum tutorum subrogatorum officio fungi debent Collegia Pupillaria (Weeskamers), ad hoc instituta, art. 366 C. C. I., qua quidem in

re jam magnum discrimen cernimus cum Codice Civili nostro, cujus art. 422 jubet ut in quaque tutela subrogatus sive honorarius tutor a Judice Cantonnali detur. Quod autem olim in patria fieri solebat, ut nempe illam honorariam magistratum tutelam deprecarentur testatores atque prohiberent adeo, per legem Indicam obtineri nequit: nam placita atque pacta conventa quae eo tenderent, inutilia atque adeo nulla per art. 418 C. C. I. dicta sunt.

Videamus autem paucis, qualia sint ista collegia pupillaria, quibus tutorum subrogatorum officia sunt oblata. Nam ut historiam eorum accurate enarremus, extra propositum et fines meae disputationis esset, quin imo peculiari disputationi idoneam materiem praeberet. Quum vero in hac opusculi parte de collegiis agamus, quibus in coloniis nostris Indiae Orientalis tutorum subrogatorum munus est oblatum, et quae secundum leges patrias quibus hodie utimur non sunt nota, alienum non videtur ut verbo de iis mentionem faciamus.

Quale autem omnium primum fuerit, in patria nostra Collegium Pupillare, certo affirmare non ausim; in antiquissimis quidem seculi decimi tertii et quarti decimi urbium Zeelandicarum placitis sive *Choris* nondum commemorantur. In Hollandia vero, et universe in regionibus nostris facile exstiterunt Collegia Pupillaria, cum magistratus urbani esset curare, ne quid detrimenti caperent illi cives, qui propriis rebus praeesse non pote-

rant. In majoribus urbibus facile haec cura mandabatur magistratibus delegatis, qui primum tutorem darent, deinde cationem ab eo exigent, mox autem universam ejus gestionem attenderent.

Dordraci quidem, antiquissimi Hollandiae capitis, collegium ejusmodi ante annum 1587 nondum fuit constitutum, quo quidem tempore IV viris haec cura fuit demandata ¹⁾. Amstelodami vero placitum invenitur d. 27 m. Jan. a. 1563 ²⁾, quo Collegium Pupillare denuo constituitur, unde constat jam dudum eo tempore ejusmodi collegium ibi obtinuisse. Universe autem satis certo constat, jam pridem talia collegia in patria nostra existisse, quibus cura de minoribus fuit mandata, et in veteri jure Hollandico saepe sermo de iis est ³⁾.

Uti autem in patria obtinuerunt haec collegia, ita etiam in coloniis introducta fuerunt: quo autem tempore quave opportunitate illud obtinuerit, accurate indicari vix potest: hoc vero constat, die 23 m. Oct. a. 1818 ⁴⁾ vi-

¹⁾ Handvesten, Privilegiën etc. der stad Dordrecht, door M^r. P. H. VAN DE WALL, Dordr. 1780, pag. 1491.

²⁾ Handvesten, Privilegien en Octroyen, etc. der stad Amsterdam, pag. 638.

³⁾ Vide HUGONIS GROTIJ, Inleiding tot de Holl. Regtsgel., l. I, v. 7 passim et VAN DER KEESSEL, Theses selectae, qui illa loca perlustravit, Thes. CIII seqq.

⁴⁾ Vide hoc decretum Ind. Staatsbl. 1818, N^o. 72.

ros, quibus per triennium coloniarum cura fuit commissa, inter multa alia quae ad hoc argumentum pertinebant, haec quoque decrevisse:

1°. Ut essent collegia pupillaria in regionibus: Batavia, Samarang, Sourabaya, Amboina, Macassar et Malacca;

2°. Ut essent composita e praeside, vice-praeside, nonnullis membris, quorum numerus postea constitueretur, denique ex nonnullis peritis Mauris, Indigenis, et Sinenis;

3°. Ut patrimonia quaevis quae essent sine dominis administrarent, et caverent ut tutores res et bona minorum bene curarent.

Quo etiam decreto ordinata sunt illorum collegiorum officia,

Vidimus ergo a remotis inde temporibus Collegia Pupillaria in India Orientali adfuisse: ad introductam usque novam legislationem haec collegia perrexerunt minoribus curam adhibere. Cum enim minoribus parum expedire videretur ut tutores haberent subrogatos, qui fortasse brevi Indiam relinquerent, constituit legislator, ut, aliter atque in ipsa patria obtinebat, uti hactenus ita in posterum, collegia pupillaria munere tutorum subrogatorum fungerentur. Ut ergo jam monuimus, art. 418 C. C. I. parentibus facultatem adimit aliquid in legali collegiorum potestate immutandi. Cum

autem in collegio pupillari ultro cessaret excusatio, capita quae in C. C. nostro inscribuntur: *van de redenen die van de voogdij en de toeziende voogdij verschoonen, et van de bevoegdheid tot en de uitsluiting en afzetting van de voogdij of toeziende voogdij* in C. C. I. inscripta fuerunt: *van de redenen die van de voogdij verschoonen, et van de bevoegdheid tot en de uitsluiting en afzetting van de voogdij*; quodsi haec duo capita C. C. I. et C. C. N. comparemus, inveniemus haec caeteroquin eadem fere esse, si tamen notaverimus, Europaeis qui in iudicando muneribus funguntur, ex art. 9 legis de Re Judiciaria Ind. non licuisse tutores esse, quod jus quoque non conceditur illis, qui apud collegia pupillaria aliquo munere funguntur, sive praesides sint, sive vice-praesides, sive membra, sive graphiarii, sive agentes, nisi tutores essent liberorum priorum.

Ceteroquin tutorum officia in India Orientali eadem fere sunt atque secundum nostrum Codicem Civilem, hoc excepto, quod collegium pupillare quotannis rationes a tutore petere debeat per art. 372 C. C. I., cum in patria tutor honorarius singulis bienniis idem jus habeat, art. 429 C. C. N. Aliud etiam est quod attendamus oportet. Si scilicet post mortem mariti mulier declarat se esse gravidam, collegium pupillare nascituri curam suscipit, art. 348 C. C. I.; in patria hoc casu per art. 403 Judex Cantonnalis curatorem partus futuri nominat.

Occurrit jam in legislatione Civili Indica praeceptum satis grave, quod in nostro Civili Codice aliter est definitum; scilicet obligatus est tutor, suae administrationis cautionem praestare: de quo praecepto, licet istud universe e Codice Civili nostro sit desumptum, quaedam nobis sunt observanda.

Art. 335 C. C. I. jubetur, ut tutor, intra primum mensem postquam nominatus est, vel satisfactionem vel hypothecam praestet, ita quidem ut hypotheca collegii cura inscribatur, iudex autem sententiam ferat, si de satisfactionis vel hypothecae sufficientia inter tutorem et collegium pupillare non conveniat. Videbimus in sequenti capite hypothecam hanc non eodem modo inscribi atque apud nos, sed hoc permutari instrumentalibus, ut jubet art. 35 leg. de trans. a vet. ad nov. legisl. Art. 335 respondet art. 390 C. C. N., quo jubetur ut tutor hypothecam praestet, ad normam quantitatis pecuniae quam suscipit administrandam. Sed in C. C. I. alius art. est qui cum nostra lege civili non convenit, scilicet art. 338, quo hoc statuitur: »Si tutor »intra tempus ad hoc constitutum negligit satisfactionem »praestare, neque res immobiles habet satis magnas, bonorum minoris administratio illi a collegio pupillari »adimitur, quod ipsum hanc administrationem suscipi- »et donec a tutore cautio sufficiens erit data.»

Difficultas tamen quaedam orta est, quae prohiberet

quominus hoc praeceptum semper sequi possint, scilicet in coloniis Indicis pauci sunt domini rerum immobilium quae hypothecae vinculo possint obligari; pauci etiam, qui fidejussionem suscipere velint propter obligationes saepe indefinitas quae tutelis inhaerent. Hoc efficit ut fere nunquam tutores satisfacere possent obligationi illis impositae placito art. 335 C. C. I., nempe ut vel satisfactionem vel hypothecam praebeant. Pleraque itaque tutelae collegiis pupillaribus essent deferendae, ex quo sequeretur: 1^o. ut haec collegia nimis labore futura sint onerata: et 2^o. non fiat secundum animum legislatoris, qui hoc studuit, ut plerumque tutelae privatis hominibus deferantur. Ut ergo tolleret hasce difficultates, constituit Indiae Gubernator, in lege de introduc. nov. legisl. et de trans. a vet. ad nov. legisl., art. 17: ut eo casu, quo hanc cautionem praestare non posset (art. 338 C. C. I.), tutor tantum retineret tutelam de persona minoris, eo modo quo hoc juberet Consilium Justitiae postquam de hoc Collegium Pupillare et Ministerium Publicum audita essent. Quod si bonorum immobilium minoris administratio continuam curam exigeret, Consilium Justitiae, audito Collegio Pupillari et Ministerio Publico, jubere posset, ut haec etiam administratio penes tutorem maneret, dummodo is ad collegium pupillare referret omnem pecuniam, omnesque res minoris quae pretium aliquod haberent: eo casu collegium pupillare tutori

» praestaret pecuniam qua illi opus esset, ad educationem
» curandam et vitam minoris sustinendam, de quibus
» pecuniis rationes redderet.»

Haec fuit ni fallor causa, cur constitutus sit iste articulus, qui praeceptum continet a nostra legislatione plane diversum.

Superest nobis aliud quid de eadem materia observandum: scilicet art. 371 C. C. I. jubetur, ut collegium pupillare curam adhibeat ut tutor cautionem praebet, *eo casu quo id secundum art. 335 istius codicis a iudice sit iussum*. Art. autem iste 335 constituit ut tutor satisfactionem vel hypothecam praebet quae collegio pupillari satisfaceret, et iudex tum tantum de hac re pronuntiaret, quum de illa lis esset orta inter tutorem et collegium pupillare. Si hos artt. comparamus, videmus aliquid omissum esse, quod magnum damnum minori adferre potest: iste enim casus, quo iudex pronuntiare debeat de illa satisfactione vel hypotheca a tutore praestanda rarus erit; si ergo consentiunt tutor et collegium pupillare de satisfactione vel hypotheca, sed si tutor negligit illam praestare, nemo jus habebit tutorem cogendi ut obligationi satisficiat. Causa cur hi artt. ita in minoris damnum videantur esse constituti haec esse videtur. Art. 390 C. C., a collegio ad hoc instituto concepti, hoc placitum continebat, ut satisfactio vel hypotheca quam daret tutor semper dijudicaretur a ju-

dice. Quum vero in C. C. hoc principium non place-
ret, sed idoneum magis videretur, ut collegium pupil-
lare de hoc potius argumento statueret, non amplius
inter se conveniebant artt. 371 et 335 C. C. I.; id circo
jussit Gubernator, art. 18 leg. de trans. a vet. ad nov.
legisl. ut collegium pupillare tutorem cogere posset ut
satisfactionem vel hypothecam solveret, et tunc etiam
quando iudex non de hac re pronuntiasset. Et ista dis-
positione jure prohibuit, ut mihi videtur, Gubernator
quo minus damnum pateretur minor ex sibi contrariis
C. C. praeceptis.

Ut jam initio hujus capituli monuimus, saepe fit ut In-
diae Orientalis incolae colonias relinquunt; peculiaris
haec societatis Indicae ratio effecit, ut crearetur dispo-
sition, quae ut in C. C. N. inveniretur non necesse
erat, et secundum quam isti homines, si qui inter illos
tutelis fungerentur, legali modo bona sua immobilia libe-
rare possent ab hypothecis quae illis essent impositae, et
tunc etiam, quando istarum hypothecarum loco cautiones
inveniri non possent. Propterea jussit Indiae Guberna-
tor, art. 19 leg. de trans. a vet. ad nov. legisl., ut, si
quis tutor colonias relinquere vellet, » se convertere posset
» ad Consilium Justitiae libello supplici, quo peteret ut istae
» hypothecae a bonis suis tollerentur: hac opportunitate
» rationes redderet suae administrationis, ita ut hoc jussum
» est in art. 372 C. C. I.; quodsi hae rationes rite et

» ordine essent redditae, Consilium Justitiae, auditis pa-
» rentibus et propinquis, collegio pupillari et Ministerio
» Publico, tutori satisfaceret. Si hoc casu tolleretur
» hypotheca, loco illius cautionem praeberet tutor; quodsi
» et illa inveniri non posset, ageretur secundum praecep-
» tum art. 338 C. C. I. de quo jam mentionem fecimus.

Sed etiam hoc sufficere non videbatur: cavere etiam
debebat legislator ne minor damnum pateretur si tutor
ejus colonias relinqueret. Id circo citatae legis art. 20
constituit Supremus Gubernator: » ut si tutor ex India
» esset profectus, et collegio pupillari visum fuisset id ad
» damnum pertinere minoris, collegium istud a Consilio
» Justitiae petere posset, ut tutor a tutela liberaretur, et
» ut novus tutor in ejus locum substitueretur; ut tamen
» liberatus tutor de habita administratione responderet.

Has duas dispositiones constituit Gubernator in com-
modum utriusque et tutoris et minoris, et illis placitis,
me quidem iudice, multum contulit ut convenientes inter
se faceret artt. C. C. I. In nostro C. C. hae disposi-
tiones non inveniuntur, quae propter ipsam societatis In-
dicæ peculiarem naturam, coloniarum novissimae legi
civili subjunctae sunt, et quas propter disputationis
meae argumentum indicare et, quantum in me est, expli-
care debui.

Vidimus officia tutorum in coloniis Indicis, parum dif-
ferre ab officiis nostrorum tutorum; jura tamen nonnulla

habent quae in patria nostra tutoribus sunt negata: sic superstes parens, qui solus jus habet tutorem nominandi, potest etiam illi concedere jus substitutionis et subrogationis art. 355 C. C. I. cf. art. 409 C. C. N. Et quum in patria nostra tutori tantum liceat accipere honorarium, quod ipsi testamento est concessum (art. 469 C. C. N.), in India tutori jus est tributum petendi nomine honorarii: 3 pro centenis redituum, 2 pro centenis impensarum, et $1\frac{1}{2}$ pro centenis ipsarum sortium quas administrandas acceperit, nisi potius sibi habere velit, quod ei testamento parentum est relictum, art. 411 C. C. I.

Praecipua igitur haec sunt tutorum in India officia et jura; pauca his subjungere debemus de collegis pupillaribus, ut vera illorum indoles magis pateat. Monuimus jam de decreto d. 23 m. Oct. a. 1818, quo collegia pupillaria sunt constituta in variis Indiae regionibus, et quo officia illorum sunt ordinata; de hac materie in nova legislatione nihil est mutatum, constituit vero art. 70 legis de trans. a vet. ad nov. legisl., ut dispositiones quae hoc citato decreto continentur, legis vim retinerent, quatenus saltem novae legislationis praeceptis non adversarentur: praeterea in art. 415 ad 418 C. C. I. peculiariter quaedam praecepta de iis invenimus; haec inter illa attendamus. Constitutum est: 1° ut in cujusvis Consilii Justitiae jurisdictione collegium pupillare esset, quorum officia ordinaret Gubernator, audita Curia Suprema; 2°

ut collegia pupillaria repraesentari possent uno vel pluribus ex membris suis, quando extra aedificium, ubi conventus collegii haberentur, officia exercere deberent. 3°. Ut collegia pupillaria scripto suas sententias ederent, causis ornatas. 4°. Ne quis testamento collegiorum pupillariorum officia excludere posset.

Collegia igitur haec in quavis tutela ipso jure tutoris subrogati munere funguntur: sed praeterea aliam indolem habent, scilicet aliquando Judicis Cantonalis nostri partibus funguntur. Vide art. 386, 388, 403, 404, 419, 936, 937, 942, C. C. I. cet. Quandoque etiam collegiis pupillaribus oblatum est officium tribunalis ordinarii; vid. c. 332 C. C. I. cf. art. 387 C. C. N. Neque hoc mirandum est: nam si in patria nostra Judicibus Cantonalibus mandatum est ut bene videant, ut tutores et tutores subrogati obligationibus suis satisfaciant, hoc in coloniis fieri non potuit, ubi non sunt Judices Cantonales et ubi Consilia Justitiae judices ordinarii sunt Europaeorum vel eorum qui iis assimilantur; praeterea, me quidem judice, legislator sine ullo periculo minorum tutelae cura deferre potuit collegio toti ad hoc instituto, et illi judicis partes tribuere.

Ceteroquin bene curavit legislator, ut collegia pupillaria opportunitatem haberent, ut rite obligationibus ipsis mandatis satisfacere possent. Si modo quis inspiciat art. 359 et 360 C. C. I. statim patebit, legislatorem

minorum commodi non immemorem fuisse.

Si enim minor orbus relictus est et tutor illi non est datus, Consilium Justitiae tutorem illi nominabit. Antequam iste tutor nominatus est, curabit Collegium Pupillare, ut administrantur persona et bona minoris. Ut bene hoc facere possit, Status Civilis Magistratus (ambtenaar van den burgerlijken stand) Collegium Pupillare certius facere debet de obitu hominis, in coloniis fato functi, de minoribus qui relinquuntur, et de insequentibus matrimoniis quae post primum dissolutum contracta fuerint. Necessesse esse praeterea videbatur, ut Collegia Pupillaria bene noscerent omnia quae facta essent testamenta: itaque jam in art. 936, 937 et 942 C. I. jussum erat, ut omnia testamenta Collegiis Pupillaribus offerentur: quas ut dispositiones ampliaret, jussit Gubernator Indiae, ut tabelliones qui instrumenta publica testamentorum apud se deposita haberent, illa accurate transcripta apud Collegia Pupillaria deponerent; praeterea constituit Gubernator, ut omnia alia instrumenta testamentorum quae inter bona testatoris post istius mortem invenirentur, etiam ad Collegia Pupillaria referrentur, art. 41, 42 leg. de trans. a vet. ad nov. legisl. Quantum itaque potuit, studuit legislator ut Collegiorum Pupillarum partes faciliores redderet: et quidem necesse esse hoc videbatur, quia multiplices profecto sunt istorum collegiorum operae, quarum in hoc capite du-

plicem partem exponere conatus sum; eo scilicet spectant 1°. ut haec Collegia officiis tutorum subrogatorum fungantur 2°. ut aliquando pro Judice ipso occurrant.

Rogabit forte quis, an Collegia Pupillaria utilia sint; et id quidem objici poterit, quod olim in nostra patria etiam exstiterint, sed non hanc utilitatem attulerint quae ab illis expectaretur. Hanc quaestionem solvere non possum; experientia nos docere debet an haec collegia utilia futura sint an non; hoc certo constat: si ex peculiari societatis Indicae natura sequitur, ut Europaei qui colonias inhabitant, saepe illas relinquunt et patriam repetant, idem hoc dici posse de iis viris, qui numeribus in Collegiis Pupillaribus funguntur: id tamen in singulis illorum obtinebit non in universis, quapropter vel sic Collegium manebit, et certo sensu perpetuum dici potest. Jure ergo expectare possumus, ut utilia futura sint; sed, ut jam dixi, experientia hoc docere debet.

Et haec sufficere mihi videntur pro proposito meo, ad explicandam indolem tutelae secundum principia juris civilis Indici: equidem intelligo, non in mea disquisitione omnia inveniri quae ad hoc caput pertineant; sed universa potius juris loca pertingere, quam singula explicare in animo fuit. Itaque jam huic quidem disputationi meae de hoc argumento finem impono, et ad cetera, quantum possum, explicanda pergo.

CAPUT QUINTUM.

DE MODIS TRANSFERENDI DOMINII RERUM IMMOBILIUM SECUNDUM CODICEM CIVILEM INDO-NEERLANDICUM.

Si universe officium legislatoris Indici difficillimum possit vocari, quum scilicet illi mandatum esset, ut totam legislationem, qualis esset in patria promulgata, unam fere eandemque in coloniis introduceret, et efficeret ut illa bene conveniret populo, qui ex tam variis quasi elementis esset compositus, et societati quae non esset stabilis in coloniis, sed continuo incolas suas cum aliis permutari videret, cujusque mores et consuetudines plane a nostris differrent, si, inquam, hoc officium difficillimum universe possit vocari, profecto difficillimum legislatori Indico mandatum opus illud dicendum est, quod spectat hypothecas et modos transferendi domini rerum immobilium. Scilicet legislatori non sufficit ut

jura personarum tueatur, ut caveat ut homines quam optime possint obligationibus suis satisfacere cogantur, sed etiam bona et patrimonia civium et incolarum bene curet valde necesse est. Legibus suis dominia tueri, quinam domini sint definire, quibusque modis rerum dominia acquirantur et amittantur, significare legistatorem oportet. Modus etiam adesse debet, ipsa lege sancitus, quo dominia rerum immobilium transferri possint, ex quo cognoscere possimus eorum naturam, indolem, speciem adeo ipsam; simul vero pateat, an hypothecae vel alia jura iis sint imposita, ne emtores earum rerum damnum patiantur, neque lites multae ori- antur, quibus ansam praeberet legislatio, in qua haec materies non bene esset definita et explicata. Facile intelligitur, quam difficile fuerit legislatori Indico de hac re justa et utilia placita, quae in rerum usum induci potuerint, promulgare. Primo autem conspectu non ita fortasse difficile omnibus videatur, universam legislationem nostram immutatam in colonias Indicas introducere: verumtamen in iis juris capitibus muta- tiones subire debet legislatio, in quibus localia impedi- menta prohibent, quominus immutata promulgetur, et in his etiam gravius legislatoris munus vocari potest. Neerlandica autem rei hypothecariae ratio, sive sy- stema (hypothecair stelsel), si jure sperare possimus ut aliquando in India Orientali vigeat, uno tamen eodem-

que tempore quo codices Indici sunt promulgati, in colonias Indicas introduci non potuit. Quae enim hodie in patria viget rei hypothecariae ratio, in India hactenus omnino fuit ignota: et quum illam introducere jam difficile fuerit in patria nostra, ubi sine multo labore res immobiles possunt monstrari, et secundum situm, mensuram, indolem et qualitatem satis facile, in *katastro* quod dicitur, potuerunt describi, quisque facile intelliget, quanto difficilior esse debuerit haec introductio, in regione, ubi tam diversa est natura domini, ubi difficile saepe est rerum immobilium fines ostendere.

Itaque si quidem fieri potest, ut aliquando introducatur in coloniis, tamen plane impossibile fuit ut una cum promulgatis novis codicibus haec introductio locum haberet; et erat tamen in codice in patria confecto res hypothecaria Indica similem in modum definita, atque in patria vigeat. Constituit itaque legislator ut legis vim retinerent placita, quae de hoc argumenta hactenus valuerunt. Simul vero utile visum est, ut de hoc argumento faciendae dispositiones legislationi novae convenirent, qua propter Indiae Gubernator in lege de trans. a vet. ad nov. legisl. varias novas dispositiones promulgavit, quibus bene inter se convenientia fecit placita veteris de isto argumento legislationis, cum praeceptis legislationis, anno 1848 introductae, (vide artt. 24 ad 39). Praeterea Gubernator die 12 Dec. a 1847,

certis in India politicis viris hoc mandavit, ut sententiam suam in medium proferrent de hoc argumento. Retulerunt illi de ea re ad Gubernatorem; in quam sententiam certo statuere non ausim; non vero illos difficultates latuisse suspicor, quae introductionem impediunt. Sane nondum ad illam constituendam in India properari, satis certum est.

Jam locus est monendi, quid juris fuerit ante introductam novam legislationem, de modis transferendi domini et de hypothecis. Haec materies ordinata fuit decreto diei 21 Apr. a 1834 (*Ind. St. Bl. No. 27*). Secundum hoc decretum, ut dominia rerum immobilium possent transferri, et ut hypothecae illis possent imponi, necesse erat ut instrumenta, quae translationem domini vel hypothecae illis rebus impositas probarent, componerentur coram uno vel duobus delegatis ex Consilio Justitiae et graphiario; in illis autem locis ubi istud non adesset, instrumenta componenda erant coram Residentiae praeside (Resident), vel qui ejus vices ageret (Assistent-Resident), et Residentiae graphiario. Haec bonorum immobilium domini transcriptiones intra certum tempus post initam conventionem, et non nisi solutis vectigalibus fieri debuerunt. Ut autem locum habere possent hae transcriptiones, qui hoc agunt adire debuerunt graphiarium Consilii Justitiae, vel ubi deesset hoc Consilium, Residentiae praesidem, qui inspiceret instrumenta quae

alienantis dominium, atque solutionem solarii (verponding) probabant: praeterea omnia alia instrumenta, quae ad transferendum dominium necessaria erant: quae si ordine facta esse viderentur, dato instrumento (*ordonnantie van storting*) auctor erat solvendi vectigalis. Ad illa instrumenta quae necessaria sunt ad transferendum dominium agrorum, domuum, hortorum et fundorum, quae non publica venditione sed alio modo transferuntur, aliud pertinet instrumentum vocatum: *landmeters-kennis*, quod ut adipiscerentur venditor et emtor, aut qui transcribere pateretur et qui dominium nancisceretur, se convertere debuerunt ad Agronomum juratum, eique praebere ultimam instrumentum emtionis (*koopbrief*), et alia documenta e quibus manifesta esse posset facultas domini transcribendi, cui etiam mentionem facerent rei illius dominium esse translatum. Hoc instrumentum, quod vocatur *landmeters-kennis*, in speciali registro inscribi debuit, quod ad hunc finem componitur. Conficiendo instrumento transcriptionis, adesse debuit emtor, ut declararet se permittere, ut suo nomine transscriptio locum haberet. Instrumenta emtionis, et illa quibus hypothecae inscribuntur in volumina colliguntur; graphiariis cura illorum mandata est. Quotiescunque rerum immobilium dominia transferuntur, grapharius in documento quod dominium probat, hujus rei mentionem facit: hoc etiam facere illi mandatum est, si

servitutes aut alia jura iis rebus immobilibus imposita sint. Non deleri possent hypothecae sive alia jura, nisi creditor in instrumento inscripserit satisfactum esse sibi. Tabelliones, Agronomi, et qui venditionibus publicis praepositi sunt, graphiarios Consiliorum Justitiae certos facere debent de rerum immobilium venditionibus. Praesidibus Consiliorum Justitiae mandatum fuit, ut de omnibus illis dispositionibus bene caverent, et quotannis Collegium quod vocamus *Algemeene Rekenkamer* accipere debet authenticam transcriptionem instrumentorum, quae probent venditiones aut translationes domini rerum immobilium.

Haec sunt praecipua placita quae continentur illo decreto. Videmus antiquo jure, quod in India Orientali viguit, necessarium etiam fuisse, ut transferendo rerum immobilium dominio, solemnitates nonnullae accederent; quod ex veteri jure Hollandico desumptum esse videtur. Secundum illud jus 1) domuum, agrorum et fundorum dominia transferri non poterant, nisi coram judicibus loci. Hoc etiam jussum est a CAROLO V Imperatore 2); praeterea variis Ordinum legibus constitutum est, ut solveretur aerario publico 40^{ma} pretii pars.

1) Vide HUGONIS GROTHII, *Inleiding tot de Holl. Regtsgel.*, l. II. p. 5, § 13,

2) Edicto d. 10 m. Maji a. 1529. *Grootplacaatb.*, I, 375.

Explicare jam pergo, quantum possim, 1°. quomodo secundum C. C. I. et Gubernatoris Indiae saepe laudatum decretum, rerum immobilium dominia transferri debeant; 2°. quomodo secundum illas leges hypothecae constituantur et deleantur. Et primum hoc moneamus: quum non convenirent placita decreti d. 21 Apr. a. 1834 novae legislationi, Gubernator dispositiones provisionarias promulgavit, quibus amplius ordinaretur lex de modo procedendi in causis civilibus in Consiliis Justitiae Javae, et Curia Suprema Indiae Neerlandicae Orientalis. Istae dispositiones ad eum finem sunt promulgatae, quia necesse fuit visum, ut, quod attinet etiam modum procedendi in causis civilibus, illius quoque placita cum placitis decreti d. 21 Apr. a. 1834 bene convenirent.

Quod attinet ad ipsum modum transferendi res immobiles, art. 671 C. C. N. jubetur ut hoc locum habeat transcripção instrumenti in registris sive tabulis ad hoc institutis. Idem jubeter de titulis jurium in re et de substitutionibus fideicommissariis, quae etiam in iisdem registris inscribi debent. De fideicommissariis substitutionibus hoc praeterea in medium proferamus, quod illae, secundum jus Indicum, ad verbum describi debent in instrumento domini bonorum, quae huic pertinent, ut jubetur art. 28 Gubernatoris decreto de trans. a vet. ad nov. legisl. Hoc igitur secundum nostrum C. C. praescriptum est, ut rerum immobilium dominia rite transferri possint.

C. C. I. vero aliud quid praescribit; art. ejus 616 cf. art. 620 jubetur ut dominia rerum immobilium transferantur, publico faciendo instrumento, quod fieri potest si quis conservatori hypothecarum (bewaarder der hypothecken) offert authenticam transcriptionem authenticici instrumenti, quae transcriptio notari debet in speciali registro ad hoc instituto: eadem autem sollemnitas, ut scilicet publicum reddatur instrumentum, etiam jussum est de constituendis juribus in re et de fideicommissariis substitutionibus, vide art. 696, 713, 720, 737, 760, 986 C. C. I. cf. art. 743, 760, 767, 784, 807, 1033 C. C. N.

Quum autem isti artt. C. C. I. non statim legis vim obtinere possent, ob causam jam saepius in hoc capite laudatam, Gubernator Indiae in suo decreto de introductione nov. legis. et de trans. a vet. ad nov. legis. constituit, ut ad transferendum rerum immobilium dominium, et ad constituenda jura in re, conficeretur instrumentum, eadem ratione atque indicata erat in decreto d. 21 Apr. a. 1834, cujus etiam mentionem fecimus. Hac ratione quantum potuit, ut mihi videtur, prohibuit legislator quominus incerta essent rerum immobilium dominia. Videamus jam paucis de hypothecis.

Ut jam exposui cavere debuit Gubernator, ut de hypothecarum materie aliquo idoneo modo caveretur, donec systema hypothecarium nostrum in coloniis introduci posset. Itaque loco inscriptionis hypothecariae, quae

apud nos obtinet, quam cognoscere possumus ex art. 1224, 1231, 1232 praecipue C. C. N. et quae in C. C. I. etiam invenitur, Gubernator Supremus Indiae constituit in suo decreto, ut instrumentum conficeretur, quod probet hypothecam esse concessam, ita ut jussum est in decreto de ista materie d. 21 m. Apr. a. 1834. Idem obtinet si hypotheca conceditur judicio; tunc ut hypotheca rite inscribatur, instrumentum confici debet quo hoc factum esse probatur. Hic igitur est modus quo conceduntur et inscribuntur hypothecae. In casu autem art. 1108 et 1188 C. C. I. in quibus agitur de separatione bonorum (eisch van afscheiding), inscriptio hypothecaria, de qua in illis artt. sermo est, permutatur cum transcriptione hujus petitionis in instrumento ipso, quod cujusvis rei immobilis, ad successionem pertinentis, dominium probat. Conditiones autem factae a creditore hypothecario primo, ut sibi liceat rem hypotheca oneratam publice vendere, et e pretio sibi ipse satisfacere, si sors debita non ipsi solvitur (vide art. 1178 C. C. I.); et ab illo qui rem hypothecis oneratam emit (vide art. 1210 C. C. I.), inscribuntur in instrumento quo hypotheca conceditur, quod ergo vicem obtinet inscriptionis, quae his artt. C. C. I. jubetur. Hypothecae inscriptio denique quam tutores praestare coacti sunt, secundum art. 335 C. C. I., permutatur cum instrumento, ex quo patet hypothecam esse concessam et inscriptam.

Hi sunt modi, quibus hypothecae, secundum novissimum jus quod in coloniis introductum est, conceduntur et inscribuntur: hae sunt praeterea praecipuae mutationes, quas in ista materie subiit C. C. I., ex decreto Supremi Gubernatoris. His mutationibus hoc etiam addamus, quod rebus immobilibus in art. 1164 C. C. I. citatis, quae hypothecis possint onerari, etiam subungi debent naves, quae certum ipsa legem definitum modum excedunt, eadem plane ratione qua etiam in patria per Codicem Mercatorum majores naves proprias ad res immobiles accedunt. Praeterea decretum d. 21 m. Apr. 1834 omnem suam vim retinuit; ut igitur in illo jussum est, graphiariis Consilii Justitiae, et in regionibus ubi haec consilia desunt, Residentibus cura hypothecarum mandata est.

Vidimus hanc materiem hypothecarum et translationis dominii rerum immobilium, plane a nostro C. C. differre. In superioribus capitibus illa loca praecipua C. C. I. indicare conatus sum, quae majorem minoremve mutationem subire debuerunt, vel quae obligationes vel officia mandabant magistratibus vel collegiis, secundum nostrum C. C. ignotis: in materie vero quam in hoc capite tractare conatus sum, legislator Indicus coactus fuit omne systema C. C. N. propter localia praecipue impedimenta cum alio permutare; quam ob rem promulgatae sunt omnes dispositiones, quas indicavi

quantum in me erat. Singularum istarum dispositionum causas indicare non potui, quia universis illis placitis una eademque semper causa existit, quam hujus capituli initio significavi, scilicet tempus defuit legislatori simul introducendi novos codices, et nostrum systema hypothecarium; quam ob rem necesse fuit visum, ut dispositiones, quae de hoc argumento valuerunt usque ad tempus quo nova legislatio fuit introducta, vim legis provisoriae retinerent.

Explicare ergo in hoc speciminis capite conatus sum:

1°. quales fuerint hae dispositiones, quae ante introductos novos codices viguerunt; 2°. quid in C. C. I. constitutum sit de modis transferendi dominii rerum immobilium et de hypothecis; 3°. quomodo hanc materiem ordinaverit Supremus Indiae Governator. Perspicue igitur patebit, ut spero, quid secundum legislationem civilem Indicam de hoc argumento pro lege sit observandum. Disputationi itaque meae de hac re finem impono, et ad alia nonnulla argumenta tractanda transgredior.

CAPUT SEXTUM.

DE ALIIS NONNULLIS JURIS ARGUMENTIS, IN QUIBUS LEGES
INDICAE CIVILES A LEGIBUS NOSTRIS DIFFERANT.

Pervenimus jam ad ultimum speciminis caput. In superioribus monere conatus sum, quaenam praecipua loca C. C. mutationem subire debuerint, antequam in colonias Indicas possent introduci. Ita egi de incolis et peregrinis, de tutelis, de hypothecis. Hisce autem expositis, disputationi meae finem imponere potuissem, nisi verbo etiam monendum visum fuisset de aliis nonnullis placitis minoris momenti, quae a meo argumento haud aliena esse videantur. Ut autem haec verbo tantum indicanda videantur, faciunt Cons. DE PINTO et VANDER LINDEN qui haec pluribus jam exposuerunt ¹⁾.

¹⁾ Themis, IX p. 509—558.

Codicem Civilem nostrum societati Indicae bene convenientem facere debebat legislator: propterea jus et facultas quae in nonnullis C. C. N. capitibus collegiis atque magistratibus secundum nostram legem institutis est tributa, in India Orientali aliis vel collegiis, vel magistratibus, qui Indicae societati magis conveniunt mandari debuerunt. Si v. c. C. C. N. potestatem aliquam defert Senatui Supremo, C. C. I. mentionem facit Curiae Supremae Indicae. Sic jurisdictio tribunalis nostri ordinarii fere semper in India oblata est Consilio Justitiae: Judicis vero nostri Cantonnalis munere fungitur tum Consilium Justitiae, quia noster Judex Cantonnalis deest in India, tum Collegium Pupillare cui mandata est cura minorum et patrimoniorum quae domino carere videntur: tum denique Praefectus loci (hoofd van het plaatselijk bestuur), quod obtinet in regionibus unde Consilium Justitiae longius distat, vel unde mari est separatum.

Quod C. C. N. Summo Imperanti tribuit, C. C. I. Gubernatori mandat. Loco REGNI C. C. N. invenimus INDIAM ORIENTALEM NEERLANDICAM in C. C. I.

Et aliae nonnullae existunt hujusmodi mutationes, quae passim in codicibus Indicis inveniuntur, et quae a locali coloniarum conditione originem ducunt. Sed haec quidem pleniori explicatione vix indigent.

Supersunt nonnulla loca C. C. I. quae a C. C. N.

aliquantum differant, et quae paucis etiam verbis per-
tingere cupio :

1°. Art. 2 C. C. N. jubetur, ut omnes qui in ter-
ritorio civitatis degant, liberi sint; neque ut servitutes
ullae permittantur. Haec dispositio in C. C. I. inve-
niri non potuit, quia servitus in India non omnino est
abolita. De hac materie jam agitur in art. 24 legis
quae cont. gener. praec. legis Ind., quo jubetur ut ser-
vitus et oppignoratio personalis (*pandclingschap*) eatenus
tantum permitti possint, quatenus Gubernator in spe-
cialibus decretis de hac re caverit.

2°. Titulus II C. C. I. agit de actibus status civi-
lis, quoniam ut supra jam monui titulus II, C. C. N.
de incolis et peregrinis, de quibus agitur in lege quae
continet gen. disp. legisl. et in Gubernatoris decreto
de trans. a. vet. ad nov. legisl. in Indico codice non in-
venitur. Primum hujus tituli caput duobus tantum artt.
constat, cujus alter jubet ut Gubernator in speciali
decreto hanc materiem ordinet. Praeterea jubetur art.
58 legis transitoriae Indicae ut ad tempus usque quo istud
Gubernatoris decretum erit promulgatum, de ea materie
valeant legalia placita quae adhuc de ea vigerunt.

3°. De domicilio aliud in C. C. I. constituitur quam
in C. C. N. In nostro enim codice jubetur, ut qui mu-
neribus publicis funguntur domicilium retineant, nisi
contrarium velint. C. C. I. vero praescribit, ut qui ad

munera publica vocantur, domicilium habeant ubi his muneribus funguntur. Mirum hoc prima specie videatur. Nam profecto cum muneribus etiam domicilia facilius in India permutantur quam in patria, et in patria ne illud quidem placitum e Codice Napoleoneo ¹⁾ retinendum visum est, ex quo munera ad vitam delata, domicilii translationem continebant. Videntur autem id egisse, ne quaestio an domicilium mutatum esset nec ne saepius emergeret; et sane si saepius munera cum muneribus in India permutant, quaestio illa saepius emergere debuisset, quae nunc praecisa est.

4^o. De adoptionibus aliquid nobis notandum est:

Decretum scilicet d. 31 Jul. a. 1830 N^o. 8 (*St. Bl.* N^o. 31) mandat magistratibus qui actibus civilibus praesint, ut in actibus natalium inscribant liberos qui extra matrimonium sunt nati, et quorum natalium declaratio fit ab homine Christiano, sive profiteatur se esse hominem liberorum patrem sive non, dummodo iste Christianus declaret se propositum habere, tales liberos educandi in Christiana religione, et mater, si saltem illa superest, permittat liberos suos ita educari; quam declarationem tabulis inscribere debet qui actui civili praest magistratus. Praeterea, si ille qui declarationem faciebat matrimonii vinculo esset conjunctus, hanc inscriptionem

1) Cod. Nap. art. 107.

adipisci non poterat, nisi et uxor ejus, una cum illo se ad filium filiamve ita educandum obligaret. Quaestio satis gravis videbatur legislatori haec esse, an praeter modos legitimationis et agnitionis indicatos in C. C., ille etiam modus in legislatione retineri oporteret, quo liberis naturalibus status posset dari, qui illis praebere posset neque agnitione neque legitimazione. Quod maxime impedire visum est, quominus decretum istud d. 31 Jul. a. 1830 in posterum quoque vigeret, hoc erat, quod ex negotio, quod secundum illud permitteretur, minus plenae juris rationes orirentur, quae litium continuarum causa possent esse futurae. Quia tamen valde durum esset, ut subito tolleretur iste legitimationis modus, qui pro aliqua parte saltem in coloniis commendandus videbatur, propter magnum numerum liberorum ex concubinato natorum, qui in India vix aboleri posse videbatur, constituit Gubernator, ut in posterum etiam vigeret decretum citatum. Propter bonos tamen mores hoc addidit: si maritus et uxor hanc inscriptionem ro-garent, et se ad filium filiamve tali modo educandum obligarent, status civilis magistratui actum ad hoc necessarium non liceret praebere, nisi istuismodi filius filiave ante nuptias istorum conjugum esset natus, (vide art. 61 Gubernatoris decreti de trans. a. vet. ad nov. legisl.).

5°. Quae ex jure Romano in jura recentiora pas-

sim recepta fuit actio finium regundorum, agnoscitur etiam in lege de ratione procedendi (*Regl. op de Burg. Regtse.*) art. 102 extr.; sed quod eodem juris principio nititur placitum art. 678 C. C. N., in textu ad usum Indiae Orientalis composito desideratur. Per illud placitum in patria vicinus vicinum cogit ad sejungenda sive finienda praedia juxta posita, impensis communibus. Quis statuere ausit hoc juris placitum non similiter in India obtinere? Sed ita fere per oblivionem omissus ille articulus videatur, in titulo, caeterum ex codice nostro ad verbum descripto.

6°. Tituli de testamentis et quae porro eo pertinent, non multas mutationes subierunt: nonnullas tamen earum commemorare debemus. Sic jubetur quidem art. 1007 C. C. I., perinde atque in art. 1054 C. C. N., ut testator exsecutoribus testamentariis possessionem dare possit bonorum, quae sunt in hereditate: quae tamen possessio, ipso quidem jure, exacto anno finitur. Quoniam tamen experientia docuit, executionem testamentariam non anno uno in India posse absolvi, constituit Gubernator, in decreto suo saepius laudato art. 43, ut hoc anni spatium a Consilio Justitiae posset augeri, sed uno tantum anno, si id rogatum est libello supplici, causis ornato, et audito de ea re Publico Ministerio.

De testamentis mutuis et nuncupativis etiam aliquid constitutum est, quod non in C. C. N. invenimus.

Seilicet quum valde abuterentur in India istiusmodi testamentis, constituit Gubernator in suo decreto art. 74, ut haec testamenta eatenus tantum valerent, quatenus mors testatoris illa sancivisset. In patria autem per legem transitoriam art. 48, testamenta reciproca sive mutua etiam valent, licet demum post introductas leges novas morte sint confirmata, si tamen ante illam introductionem certum habeant diem.

Quod attinet hereditatis divisionem (boedelscheiding), illa non in C. C. I. est ordinata eodem modo atque in C. C. N., sed secundum legem de ea materie, quae apud nos d. 31 m. Maji 1834 (St. No. 22) est promulgata.

De fideicommissis hoc moneamus. Jussit Gubernator Supremus in eodem decreto de trans. a. vet. ad nov. legisl. art. 76 ut fideicommissa, ex testamentis ante introductas leges novas jam morte confirmatis, plenam vim, quae iis ex legibus antiquis tribuitur retinerent. In patria vero per art. 50 legis transit. salva manet juris Francici constitutio ea, qua fideicommissa semel tantum post introductas leges Napoléoneas deferuntur primo appellato, ante illud temporis punctum jam nato.

Superest mihi ut moneam de duabus dispositionibus, quae licet magis ad modum procedendi in causis civilibus videantur pertinere quam ad Codicem Civilem ipsum, tamen eo pertinere possint dici, et profecto gravitate non sunt denudatae.

Altera harum dispositionum, quam videre possumus in Gubernatoris decreto art. 89, constituit, ut sententiae etiam quae sub veteri legislatione in vim rei iudicatae abierunt, secundum placita novae legislationis effectum sortiantur; executiones tamen, quarum initium jam factum est tempore introductae novae legislationis, absolventur secundum veteris legislationis praecepta. Hoc placitum constitutum esse videtur, quia transitoria dispositio, quae contraria sententia niteretur fortasse perturbationem efficere posset, si v. c. creditores plures in eundem hominem condemnationes adepti essent, quarum haec secundum vetus, illae secundum novissimum jus essent pronunciatae.

Ultimum placitum de quo adhuc paucis verbis agendum est, spectat corporis apprehensionem sive manus injectionem (lijfsdwang). Studuit scilicet legislator, ut favorabiliora de manus injectione placita cito in usum induceret. Propterea jussit Gubernator, art. 92 sui decreti, ut sententiae quae redditae essent ante introductam novam legislationem, manus injectione non effectum sortirentur, nisi hoc casu, quo manus injectio nova legislatione esset permessa, et iisdem modis quo in ea esset praescripta. In patria de ista materie aliud placitum invenimus, in lege transitoria art. 46, quo constituitur ut in quovis casu quo manus injectio non nova legislatione esset jussa, illa post introductum codicem de modo pro-

cedendi in causis civilibus non posset exerceri, nisi ante istum codicem introductum illa sententia esset pronuntiata, aut litigantes illam legitime essent adepti. Haec tamen dispositio in C. C. I. est facta, quum sibi haberet persuasum legislator, iudicii executionem non dici posse pertinere ad jura quae quis impetratus esset; quod ergo corporis apprehensionem attinet, si quis sub veteri legislatione sententiam obtinisset, ejus jura non dici possent esse diminuta lege posteriori, quae illi corporis apprehensioni modum imponeret aliquem. Hic non locus esse videtur disputandi, an probanda sit ista legislatoris Indici sententia, quoniam ea quaestio controversiis nonnullis ansam jam praebuit. Monere nobis sufficiat hanc causam fuisse videri, cur hoc de manus injectione placitum sit constitutum. Praeterea aequitatis causa constitutum est in eodem art. 92, ne favorabiliora de corporis apprehensione placita extenderentur ad eum casum, quo executio jam ante tempus introductae novae legislationis locum habuisset.

Hisce autem expositis, eo jam perveni ut disputationi meae finem imponere possim. Profecto non omnia loca C. C. I. quae a nostro C. C. differant explicare mihi contigit: speciminis mei inscriptio jam ostendit me in animo habuisse, ut praecipua illorum locorum paucis

explicarem et inter se conferrem. Indicare praecipue studui, quidnam voluerit legislator, quum nonnullis locis praecipuis C. C. N. modum imponeret, antequam illum in India Orientali promulgaret: propterea graviora argumenta tantum perlustrare conatus sum, neque spectavit mea disputatio illa loca quae minoris essent momenti.

Quodsi opus meum ita non omnibus modis sit absolutum, nemo aequus lector hoc, uti spero, a juvene expectaverit, cujus est non adeo alios disputando atque disserendo docere, sed ostendere se non sine studio quodam animique ardore jurisprudentiae incubuisse.

T A N T U M.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

T H E S E S.

I.

Non assentior statuentibus bonae fidei possessorem posse postulare cautionem damni infecti.

II.

Conciliari nequeunt L. 18 D. de rebus cred. et L. 36 D. de A. R. D.

III.

Minus probanda mihi videtur ratio qua summus CUIJACIUS (*Obs.* XII. 14) conciliare studuit L. 35 pr. et L. 80 § 2 D. de adq. hered.

IV.

Apothecae publicae (Staatsschuldbriefven) non comprehenduntur donationibus quae, per art. 1724 C. C., de manu in manum transferuntur.

V.

Etiam ad usufructuarium qui aedificavit in fundo fructuario pertinere videntur quae art. 658 C. C. statuta sunt.

VI.

Ad divortium secundum art. 264, 3°. C. C. non sufficit sententia iudicis peregrini.

VII.

Polizae assecurationis per indossamentum transferri posse non videntur.

VIII.

Quod dicunt Adnotatores Amstelodamenses C. M. ad art. 353, »de strafbepaling van art. 353 is strenger, omdat hij (de schipper) in het daarbij voorziene geval eene »driedubbele winst geniet, zijn loon, zijn aandeel in de »winst op de lading, en de vracht van het ter sluiks me- »degenomene, terwijl in het andere geval de winst alleen »bestaat in laatstgemelde vracht en het loon,» minime rationem dicti articuli indicat, nec juris rationi convenit.

IX.

Art. 454. C. M. probationem per testes excludit.

X.

In causis poenalibus iudici in omni instantia et specia-

liter in publica sessione, praevidiam incarcerationem accusati jubere non licet.

XI.

Multa ex art. 401. C. P. non unice est accessio poenae, sed tamquam poena principalis irrogari potest.

XII.

In contrectationibus, quae art. 380. C. P. continentur, non magis socius quam facti auctor poena est afficiendus.

XIII.

Minus probandum mihi videtur, quod in Lege Fundamentali non satis perspicue constitutum est, ad quem pertineat cura legislationis Indo-Neerlandicae.

XIV.

Minus probandum mihi videtur placitum art. 198 Legis Fundamentaliss.

XV.

Non assentior viro celeberr. MONTESQUIEU (*Esprit des Lois* XXII. 7) statuenti, monetas tantum esse valorum signa et omnes monetas alicujus regionis repraesentare omnes merces (denrées et marchandises) ejusdem regionis, uti pars monetarum repraesentat partem earum mercium.

XVI.

Minus probanda mihi videtur sententia eorum qui putent singulis populis id agendum esse, ut omne genus industriae exercent sibi ipsi sufficient.